SAMUEL THOMAS SOEMMERRING


TABULA
SCELETI FEMININI

IUNCTA DESCRIPTIONE.

TRAIECTI AD MOENUM,

APUD VARRENTRAPP ET WENNER.

MDCCLXXXXVII.



Chr. Koeck delineavit. *S. Th. Soemmerring Tabula Sceleti feminini.* *Bæhrenstecher sculp.*

SAMUEL THOMAS SOEMMERRING

LECTORIBUS

SALUTEM.

Sceleti feminini tabulam exhibiturus, in eo inprimis operam collocandam putavi, ut perfecte eadem repraeſentaretur oſſium compages, quam, ſapientiſſimo naturae conſilio, ad omnia officia vitae peragenda adaptatam in ſexu amabili admiramur.

Minime enim in ſceletorum iconibus imitanda turpis iſta oſſium poſitura, quam in ſceletis ſiccatis abhorremus.

Iſtis enim in ſceletis, praeter quam quod ob omnium cartilaginum ſiccitatem multum de longitudine totius ſceleti, praecipue puellae iunioris, decedat, verus et commodus oſſium ſitus, apta eorum diſtantia, iuſta Thoracis forma, habilis et elegans ſpinae coagmentatio, nitida artuum concinnitas, omnis omnino iuncturarum aptitudo et forma perditur.

Quare imagines ad eiusmodi ſceletum corruptum effictae, ad id ipſum, cuius ſolius cauſa ſceleti imagines parantur, nempe ad naturalem oſſium poſitum, et ſyntaxis compoſitionem cognoſcendam nequaquam idoneae, neque ad ſublevandas meditationes phyſiologorum, neque ad dirigenda conſilia medicorum, neque ad diiudicandas et ad iuvandas curationes chirurgorum ullo modo utiles.

Eo facilius autem vicioſas et horridas eiusmodi imagines vitamus, quo magis etiam ipſis tironibus in arte medica notum eſſe debet, Bernardum Siegfriedum Albinum non modo omnibus numeris abſolutum exemplar tabulae ſceleti virilis exhibuiſſe, ſed etiam in hiſtoria operis de muſculis et ſceleto, methodum, qua ad conficiendas tabulas iſtas uſus eſt, fideli narratione tradidiſſe. Diſerte enim afferit, ſceleti figurae ut bonae ſint, requiritur, ut accuratae ſint, talem ſceleti ſpeciem plane exhibeant, qualis eſt in vivo, illo ſtatu, qui eligitur.

Merito etiam mirandam, ab illo tempore, quo idem vir ſummus, quem ſatis laudibus extollere nequeo, in annotationibus academicis expreſſis verbis monuit,

„ſceleto ſeminino caremus"

neminem ſedulo de adornanda tabula ſceleti feminini ſollicitum fuiſſe; ſed anatomicos difficultatibus a ſuſcipiendo iſto negotio deterritos videri.

Magnopere autem profecto non modo philoſophorum et medicorum, ſed etiam, ſculptorum et ſtatuariorum intereſt, adcuratam habere ſceleti feminini deſcriptionem et tabulam, ut rite intelligatur quae ſit in ſceleto feminino naturae ſpecies et ordo.

Exponam igitur brevibus rationem, normam et curam, quam in adornanda tabula mea adhibui.

Ante omnia ſtudui ut talem mihi compararem corporis feminini ſpeciem, quae non modo iuventute et aptitudine ad procreandam ſobolem, ſed etiam iuſta, membrorum concinnitate, formoſitate, elegantia, venuſtate et pulchritudine ſeſe commendaret, talem fere, qualem Veneri anadyomenae tribuere ſolebant Veteres.

Nactus artificem egregium Ch. Koeck Moguntinum, mathematices, ſculpturae, artisque plaſticae peritiſſimum, inprimis in delineandis rebus anatomicis Wandelaerio illi Albiniano ni anteponendum, ſaltim aequiparandum, eius maxime conſilio ad conſequenda ea, quae propoſueram, utebar, adhibitis ſimul Ohmachtio ſtatuario inter Germanos longe celeberrimo, Schützio pictore egregio, aliisque viris in artibus ingenuis verſatiſſimis.

Methodo ab Aibino et Campero abunde ſatis expoſita figurae ſingulorum oſſium delineatae ſunt.

Deinde de eligendo ſtatu cogitabam cum Heinsio meo, eumque modeſtum, decorum, gratioſum aptiſſimumque ad omnia explicanda iudicavimus, quo totum corpus pede dextro inniteretur et firmiter ſtaret, ſiniſtro pedi parum ſublato leviter inſiſteret, capite in ſiniſtrum latus verſo et parum inclinato, trunco in oppoſitum dextrum latus eleganter ſinuato, dextra manu prona pendente, ſiniſtra ſupina parum ſublata et modice extenſa.

Tali enim in ſtatu, totius fere corporis forma et ſuperficies prior optime oculis patet, ad demonſtranda ea quae in corporis externa conformatione feminis prae viris peculiaria obſervantur maximeque ad venuſtatem conferre creduntur.

Conſulendum enim mihi erat non modo utilitati, ſed etiam perſpicuitati ſceleti feminini.

Natam inde imaginem puellae perpulchrae contuli cum ſtatua illa Veneris, quam vulgo Mediceam vocant, et cum ſtatua eiusdem deae, quam Dresdae examinaveram in collectione Electoris, denique cum puellis in regione noſtra venuſtate et pulchritudine nobiliſſimis, ut nimirum ſupplerem ea, quae deſiderabam.

Deinde in muſeo e ſceletis puellarum belliſſimarum illud ſelegi, quod huic imagini adeo conveniebat, ut ei adaptari, et veluti inſcribi poſſit.

Inveni ſceletum puellae, viginti circiter annorum, Moguntiae, felici illo terrae angulo natae, ob corporis et animi dotes, dum viveret, celebratiſſimam, cuius pectus neque thoraces balaenatae, neque cingula ferrea, cuius pedes calceoli non deturpaverant. Quum partum et iuſto tempore et fauſto eventu ediderit, eo confidentius affirmare poſſum, talem pelvis et thoracis ſtructuram, qualem tabula noſtra ſiſtit, inprimis aptam eſſe ad foecunditatem.

Ne autem aliquid deeſſet, inprimis pulchritudini oſſium capitis, comparavi illa ſollicite cum cranio pulcherrimo feminae Georgianae in collectione rariſſima Blumenbachii, nec ſine voluptate animadverti puellae meae belliſſimum capat oſſeum, optime cum illo convenire.

Notum eſt, in univerſum corpus femininum a virili magnitudine et proceritate ſuperari; curavi igitur, ut ſceleto feminino meo in tabula ea tribueretur magnitudo, quae iuſta ratione ad ſceleton virile Albinianum se haberet: experiendo enim didici, in tabula Albiniana eam eſſe ſceleti magnitudinem, quae ad omnes eius partes ſatis diſtincte adhuc exprimendas et declarandas ſufficiat.

Figuram notulis vel litteris conſpergere, prouti et aliam figuram linearem apponere ſuperſluum duxi; ea enim, quae hac methodo explicari ſolent, optime expoſuit ſummus Albinus in explicatione tabulae ſceleti virilis, quorſum lectores harum rerum cupidos relego.

Non una autem me res movit, ut hunc potius quam alium ſitum et poſituram membrorum ſelegerim; quum enim intelligerem, varias oſſium praecipuorum partes alio ſitu obſcurari vel oculis ſubduci, hunc mihi potius quam alium ſitum tenendum eſſe intellexi, in quo nimirum pauciſſimae occultarentur oſſium partes.

Optime enim in tali ſitu cernuntur:

Oſſium totius faciei forma et omnis fere ſuturarum varietas,
ambitus cranii,
dentium ordines,
articulus maxillae inferioris,
columnae vertebralis flexiones,
thoracis variabilis ſtructura,
oſſium pectoris arcus,
pelvis capacitas,
pronatio in brachio dextro, ſupinatio in ſiniſtro,
dorſum manus in latere dextro, palma manus in ſiniſtro,
femoris rectitudo in dextro latere, ſinuoſitas in ſiniſtro,
patellae mobilitas, dum enim tibiam ſuam ſequitur, in latere dextro elata, in ſiniſtro demiſſa eſt,
pedis dextri dorſum, ſiniſtri latus internum.

Minime vero ſilentio praetereundum videtur, in eo ſtatu corporis vel ſceleti, claviculam dextram, prouti et omnem thoracis partem dextram breviorem, ſiniſtram vero longiorem et latiorem apparere — coſtas dextras viciniores, ſiniſtras remotiores a ſe invicem reddi,

Cartilagines intervertebrales in ſinuoſitate quavis columnae ſpinae minus altas, quaſi compreſſas, in convexitate quaſi diductas eſſe, prouti maxime in lumbis, ob ſingularem earum cartilaginum magnitudinem cernitur.

Columna vertebralis, quae in universum in feminis flexilior ac in viris observatur, in eodem statu corporis non modo naturalem servat ductum eleganter serpentinum, sed media sinuositas, ea, scilicet, quae ad dorsi vertebras pertinet, multum adhuc augetur conspirantibus una omnibus costis.

Ista ergo maxime insignis spinae sinuositas, quam in tabula cernimus, necessario cum flexione, vel si mavis, inclinatione trunci in latus dextrum coniuncta est.

Pelvis vero pars sinistra in eo situ paulum demittitur, hinc spina ischiadica in osse dextro coxae cernitur, in sinistro oculis subducitur.

Tabulam ita paratam aeri incidendam commisi curae MÜLLERI Professoris Stuttgardiensis, in scalpendi arte, nostra aetate, omnium inciforum Germanorum excellentissimum.

Accedamus ad discrimina sexus. Sceleto feminino quem tabula nostra sistit, comparato cum Albiniana tabula sceleti virilis, *ratione sexus* haec discrimina facile satis animadvertimus.

Sceleton muliebre per omnia masculino minus, et gracilius, praeter cranii ossa.

Eiusdem enim magnitudinis os maturum femininum pauciores asperitates, minores spinae, exiliores sulci, minores articuli, forma tornatior, maiorque laevitas a virili osse distinguere solent; ut manifeste in ossibus cranii, faciei, pelvis, et scapulis apparet.

Os muliebre cylindricum vel longum quodcunque eademque fere superficierum articularium latitudine, qua os virile praeditnm, maiore diaphyseos exilitate distinguitur, quo fit, ut totus sceletus gracilior appareat.

In summam, ossa muliebria feminei quid, satis ex hac icone intellectu facile, verbis vero descriptu difficile gerunt.

- Calvariae femineae ambitus maior,
- Sinus frontales angustiores,
- Glabella minus elevata,
- Calvariae foramina nihilosecius angustiora, v. c. foramina ophthalmica,
- Faciei ossa omnia multo subtiliora.
- Narium introitus minus patuli,
- Maxillae superioris et inferioris limbus alveolaris magis ellipticus.
- Mandibula minus aspera laevigata quasi,
- Dentes ipsi minores et in pulchrioribus quidem inter se magis aequales, adeo ut forma et magnitudine incisiores minus ac in viris differant a caninis et molaribus.
- Oris totum cavum angustius et brevius.
- Vertebrarum corpora proceriora — ab utroque latere magis sinuata, hinc minus retusa. Processus earum transversi magis retrorsum tendentes, adeo ut sulci, medios inter eos et processus spinosos per posteriorem columnae partem, ab utroque processuum spinosorum latere descendentes profundiores sint.
- Cartilagines vel ligamenta intervertebralia crassiora vel altiora.
- Totus thorax *supra* brevior, vel ad quartam costam usque paulo amplior — *infra* vero angustior dolio similior, minus conoides in priore parte magis gibbus quam masculinus, *longius a pelvi distans* ob interstitium ultimam costam inter et marginem ossis coxarum maius — *minus prominens*, adeo ut corpore erecto vel supino in sexu sequiori symphysis ossium pubis, in sexu potiori thorax promineat.
- Costae tenuiores, planiores, ideoque margine superiore et inferiore acutiores.
- Cartilagines costarum verarum, ratione ad partem costarum osseam habita, longiores.
- Costae spuriae maiore proportione ultimam costam versus decrescunt.
- Hiatus inter cartilagines septimae, octavae, nonae costae sursum versus multo acutiorem angulum constituunt.
- Hiatus laterales canalis medullae spinalis, qui ab arcu e corpore vertebrae protento et ipsius vertebrae corpore, et quidem a binis iunctis vertebris, maiorem tamen partem a superiore vertebra construuntur et nervos excipiunt, multo sunt ampliores; quod quidem in vertebris colli optime in hac tabula cernitur.
- Ossa sterni iunctim breviora, propius extremo thoracis superiori ad lineam fere per planum horizontale quarti costarum paris, in sceleto vero masculino quinti paris ductam, desinunt, longius igitur ab ossibus pubis distant.
- Lumborum maior longitudo.
- Pelvis omnes diametri maiores. Cristae et tubera ossium coxarum longius ab invicem distant.
- Spatium ossa pubis inter maius est, ligamentum igitur symphyseos latius est, crassius, quamvis brevius.
- Os sacrum latius, magis sinuatum, neque apex illius tantum in pelvim porrigitur.
- Ossa coccygis graciliora, magis prorsum versus tendunt, minus tamen in pelvim porriguntur.
- Ossa coxarum latiora sunt, planiora, magisque in exteriorem partem repanda, maior est angulus rami descendentis ossis pubis cum symphysi, ideoque angulus inter ossa pubis potioris sexus acutus est, sequioris vero gradus LXXX - LXXXX attingit, propiusque ad figuram arcus adcedit — Tubera ossium coxarum maiora, sunt planiora — spatium tubera inter et acetabulum minus est — Incisura ischiadica maior — Foramen ovale amplius — Incisura, tendinem musculi obturatoris externi, tuber ischii inter et acetabulum, excipiens, ut in sinistro latere cernitur, angustior videtur.
- Acetabula ossium coxarum longius ab invicem distant, ideoque mulieres incedentes vacillant, quum vero superficiei pelvis priori propiora sunt, procedente graviditate libramentum corporis, cuius gravitatis punctum tunc temporis propius non nihil priora tangit, melius servatur.
- Gremium amplius est.
- Ossa artuum inferiorum acutiorem angulum inferiora versus sistunt.
- Ossa femorum magis in priora curvata sunt, ut optime in femore dextro cernitur — collum femoris cum corpore maiorem angulum constituit, — condylus internus maior est, magis gibbus et nonnihil longior externo condylo.
- Pedes minores.
- Humeri devexiores.
- Articuli humerorum non tantum ab invicem distant.
- Claviculae minus curvae sunt, ut scapulae modo ad coxas latas iusto, ab invicem distent, et adfatim reprimantur. Viriles vero claviculae magis curvae sunt, ut scapulae magis, quam si claviculae in rectum protensae fuissent, producantur. Masculini sceleti claviculae magis deorsum versus tendunt, et cum ossibus pectoris obtusum, feminei vero sceleti claviculae rectum fere angulum constituunt.
- Scapulae minores sunt, tenuiores, planiores, anguli earum acutiores.
- Artus superiores breviores.
- Ossa carpi angustiora.
- Digiti magis acuminati sunt.

TRAIECTI AD MOENUM,

APUD VARRENTRAPP ET WENNER.

MDCCLXXXXVII.